



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. De secretis voce submissa dicendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Cap. I X. De Defectibus occurrentibus. 153

(supra vidimus) si, inquam, id occurrat, & sint in Sacra-
rio repositae particulae præconsecratae, quid fiet melius,
nam particulam ex his præconsecratis assumere, an
Missæ finem imponere cum sola Sanguinis consum-
ptione?

Puto melius esse, si Sacrificans assumat unam ex præ-
consecratis. Ratio est, quia, cum omnes Sacerdotes sint
Ministri representantes unum Christum Dominum
Sacerdotem principalem, & omnes Hostiæ consecratae
contineant unum eundem Christum, ipsamet Hostiæ
consecratae ab alio Sacerdote, habent aliquam tandem
rationem, & habitudinem ad hunc Sacerdotem, atque
ad hoc Sacrificium: quare, in hac necessitate, conve-
nienter faciet Sacerdos si assumat præconsecratam, quæ
quæ, aliquo modo, propter dictam habitudinem, ad
perfectum Sacrificium pertinet, eiusdem complementum
esse potest.

25. Dixi (in hac necessitate) nam quamvis dicta con-
venientia videatur probare, id etiam fieri posse, sine
necessitate: si enim præconsecrata ad me nunc Sacrifi-
cium pertinet, possem consumere indifferenter illam,
relinquendo eam, quam ego consecro, cuius contrarium,
hactenus docuimus: tamen, omnibus consideratis,
id non probat: siquidem tum propter usum Ecclesiæ,
certe gravem: tum propter Sacros Canones cap. Rela-
tum. 12. de consecrat. dist. 2. & passim Rubr. Miss. di-
sonantes, ut quilibet Sacrificium suum consumat: tum
et natura ipsa Sacrificij, cuius est offerre simul, & con-
sumere oblatum, non possumus ample, sed strictè, in
solo nimirum necessitate, ad dictam convenientiam re-
currere.

CAPVT IX.

De externa recitatione Missæ.

§. I. De dicendis elata voce.

1. **Q**uæ, voce alta præscribuntur dicenda in Missa,
ita recitanda sunt, ut astantes commodè audire
possint. Si quis tamen ita voce depressa recitet, ut ij di-
stinctè audiant, licet non ritè faciat, tamen non est con-
demnandus de mortali, etiam die festivo de præcepto,
quod quid sentiat Navarrus apud Sà, v. Missa num. 50.
Ratio est, quia ex una parte non constat de præcepto,
nec de consuetudine obligante, immo video etiam à ti-
moris passum voce omnino depressa Missam sine scrupulo
recitari, & ex alia astantes non obligantur audire,
sed solum interesse devotè Sacro. Ita Delugo de Eucha-
rist. lib. 2. sec. n. 1.

§. II. De secretis voce submissa dicendis.

Docet, Valentia, Medina, Azor, alique quos
debet, & sequitur Castrop. t. 2. d. 2. de orat. p. 3. n. 6.
testimonanda esse verba à Sacerdote, dum secretè orat,
in Missa, ut saltem à seipso audiri possint. Verum si id
affirmes tanquam omnino necessarium, non est legiti-
me dictum: si enim ita formentur verba ut sonus vocis
extra labia prodeat, quamvis non sit aptus ad vellican-
das aures, nemo dicet non satisfieri obligationi, quia
tum exhibetur oratio vocalis. At si id affirmes, quasi si-
gnificans, si ita proferantur verba, ut ad proprias aures
pertingere possint, securum esse Sacerdotem de legitima
pronuntiatione: rectè dictum est, si enim quis ita vocem
formet, ut ipsemet eam audire possit, sine ulla dubitatio-
ne vocaliter orat.

2. Regula igitur melior, & benignior ea mihi attri-
bet, quam asserit ex Navarro in Comm. in 2. p. Decret.
cap. 9. de orat. num. 88. possumus prædicta scilicet Missæ
secretæ, ut etiam Horas Canonicas, posse recitari sine
expessione verborum, quæ ab alio, vel à seipso audiri
possunt, sed sufficere formare verba inter labia, & den-
tum. Ratio regulæ est, quia sic formata verba, voces

essentialiter sunt, atque adeo sufficiunt ad orationem
vocaliter inunctam in cap. Dolentes, de celebr. Missæ.
non enim assentior aliquibus cum Castropal. ita o. cit.
ibid qui dicunt eivmque voces esse potius inchoationes
verborum quam verba sunt enim, ut dictum est, verba
vocalia quantum scilicet ad præceptum observandum
sunt necessaria.

§. III. Privilegium Religiosorum circa prædicta.

1. **C**oncessit Leo Decimus vivæ vocis oraculo orat.
12. apud Bullarium Rodriq. Minoribus sequens
privilegium. Quod nihilominus aliqui affirmant, in
Resp. l. 3. dub. 17. non fuisse merum oraculum, sed illi ac-
cessisse signaturam Pontificis Et similiter placeat Sancti-
tati vestre, ut ne fratres mutuo se impediant in O ficio divi-
no, aut alijs sint fastidiosi, quod illa, quæ in Ordinario in-
bentur dici secretè sub silentio, tam in Horis Canonicis,
quam etiam Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed
satisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo intra se per
librum, quia alij devotius sic dicunt & absque impedimen-
to, & fastidio aliorum, & eodem modo possunt facere, qui
dicunt Officium per se solus, cum prolatio verbalis sit præci-
piat, ut ab alijs intelligatur. Et infra n. 23. Omnia præmi-
sera, ut fuerunt petita, à prefato Sanctissimo Domino no-
stro fuerunt concessa.

2. Nota autem primò, minus rectè Scottiam in Constit.
Theor. 322. docere Leonem Decimum concessisse solum
ut submisso dicerent, alias posset consecrari mentaliter.
Non rectè, inquam, nam expresse concedit Mentali-
ter, Consecratio autem semper intelligitur exclusa ex eo,
quod sit consecratio Sacramenti, quod constare debet ex
rebus, & verbis.

3. Nota secundò, privilegium esse pro omnibus,
etiam non scrupulosis, etiam de toto Officio, quod
privatim recitari solet, etiam de ipsis partibus Missæ
Cantatæ, quas Sacerdos, submissa voce, legere per Ru-
bricas debet. Patent hæc ex verbis jamjam allatis Privi-
legij; quidquid alij contradicunt.

Nec obstat illud, quod in Ordinario inbentur dici se-
cretè quasi verò non omnia secreta Missæ, & totum
Officium. Non obstat, inquam, quia, quæso ite, quid
aliud est illa Missa, quod inbentur secretè dici in Ordi-
nario, hoc est in Rubricis Ordinariis, nisi secreta ipsius
Missæ omnia: De Officio autem, licet fatear aliqua in-
beri secretè dici, non omnia: tamen ex verbis illis, &
ne alijs sint fastidiosi, & ex illis universalibus, Qui dicunt
Officium per se solus, cum prolatio verbalis sit præcipue ut
ab alijs intelligatur, & ex toto contextu Privilegij, sine
que cur fuerit impetratum, satis clarè colligitur, sermo-
nem esse de toto Officio.

Non tertio, quamvis hoc privilegium participet
Nostra Societas, id tamen in usum deducere non po-
test quia nondum illud ei communicavit noster R. P.
Generalis, ut alias in similibus supra lib. 1. cap. 2. §. 1.
num. 8. monui: possumus verò alij Mendicantes, parti-
cipantesque in eorum privilegijs, quia suppono illis ni-
hil esse in hoc restrictum à suis Generalibus, nec revo-
catum.

Lege Delugo lib. 3. resp. dub. 17. qui satis strictè hoc
Privilegium interpretatur, & Dian. p. 10. tr. 11. Resp. 1. qui
fere omnino reitit. Quo autem rationum pondere, sal-
tem loquendo de officio, pro quo adsunt illa universa-
lia verba. Qui dicunt officium per se solus, expendant me
sapientiores. Certè mihi favet Baldellus tom. 2. lib. 3. de
adorat. ad 55. num. 16. olim Romæ Præceptor in Theolo-
gicis meus, qui intelligit hoc Privilegium de toto offi-
cio; & solum admittere illud tenuit ex eo capite, quod
putet esse ex vivæ vocis oraculo, quod tamen, fuisse
cum signatura Pontificis ex aliquorum sententia iam vi-
dimus n. 11. Nostram prædictam opinionem sequitur, &
pluribus probat Sanctior apud eundem Dian. p. 8. tr. 7.
Ref. 58. & novissime late nostram sententiam probat
Tho. Hurt. p. ref. mor. tr. 3. a. n. 40.

LIBER.